

2 *De existentia & essentia Angelorum, &c.*

plures eorum apparitiones, Genes. 16. & 19. Num. 22. 2. Regum 14. Tobia 12. Iob 12. Daniel 7. Matth. 1. 8. 13. 16. 18. 22. 24. 25. & 28. Marci 13. Luca 1. 2. 8. 16. & 22. Actuum 1. & 12. 1. ad Timoth. 8. Petri 2. Epist. cap. 2. Ioan. 1. cap. 4. Ex quibus non solum colligitur Angelos existere, sed etiam esse naturæ intellectualis ac excellentioris homine. Quamuis nomen Angelus ex se non sit nomen naturæ, sed officij, nuncium significans,

2. Definitur in symbolo Constantinop. ubi habetur *factorem cæli & terra, visibilibus & invisibilibus*, id est, Angelorum; & in Concilio Lateran. infra citando.

3. SS. PP. consonant. D. Dionys. cap. 4. de diuinis nominibus, S. Athanasius q. ad Antiochum. S. Augustinus lib. 11. de ciui. cap. 13. 14. 15. & lib. 12. cap. 16. & lib. 15. cap. 23. & in Psal. 103. v. 4. Damasc. lib. 2. de fide. Hieronym. ad cap. 18. Matth. & in epist. ad Ephes. Ambrosius ad cap. 1. Hebræor. Isidorus lib. 1. de summo bono cap. 12. Gregorius Hom. 34. in Euang. & 2. Moral. c. 3. & denique Scholastici omnes, Magister ac eius interpretes in 2. dist. 8. Noster Mercennus in Gen. cap. 1. v. 1. cap. 5. Obiect. 25. Solent quoque aliæ rationes assignari, quæ despiciendæ non sunt: Aristoteles fuit permotus motu cæli, quem non nisi ab intelligentiis esse censuit 12. Met. cap. 6. 7. 8. D. Thomas 2. contra Gentes c. 46. ab illa ratione scilicet, quia omne agens producit simile sibi, nulla quippe datur perfectio in effectu, quæ non reperiatur in sua causa: sed Deus est simpliciter spiritualis, & est causa effectiua Angelorum: ergo cum Deus sit simpliciter spiritualis, & substantia quædam perfectissimè completa, concedendi erunt Angeli necessario. Alij ab experientia lunaticorum & obsessorum à Dæmone, qui dum linguis, quas numquam didicere, loquuntur, futura prædicunt, absentia tanquam præsentia referunt, & alia patrant (quæ in astra, siue in morbos reduci non possunt, cum sint intellectus experia; nec in homines, cum vires eorum superent. Neque in Deum ut causam particularem, cum id genus homines sæpe blasphemant Deum, aut ei maledicant, detegant peccata, &c. quæ Deo tribui non possunt; Neque in Angelos bonos, quippe qui ad salutem illorum potius, quàm ad ruinam tendunt, ut probat noster Magnan in sua Philosophia Sacra c. 14. prop. 11. n. 13. Neque in animas separatas, cum enim sint eiusdem rationis,